



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Thomæ Comptoni Carleton, Cantabrigiensis,
Societatis Jesu, In Collegio Anglicano Leodiensi Sacrae
Theologiae Professoris, Cursus Philosophicus Unversus**

Carleton, Thomas Compton

Antverpiæ, M.DC.XCVII.

Disputat. XXXVII. De Tempore Æternitate, & Ævo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95656](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95656)

SECTIO V.

Utrum ubicatio in agente requiratur antecedenter ad operationem.

- I. **A**ntecedenter, inquam, aliquo enim modo requiri ubicationem, saltem concomitanter, vel consequenter, suppono ex disp. 33. l. 4. ubi probavi non posse rem esse, & nullibi esse.
- II. Dico primo: universim loquendo ubicatio non est conditio antecedenter requisita in causā ad agendum. Prob. quando enim res operatur ad intra, & suas passiones, ac proprietates producit (ut quando anima per emanationem producit intellectum, & voluntatem, si ab ea distinguantur, aut subsistentiam &c.) nullam video necessitatem, cur ad hoc antecedenter requiratur ubicatio. Cujus ratio est, quia ubicatio ad operandum requiritur tanquam applicatio, quā scilicet agens applicetur passio, res autem quævis est sufficienter applicata sibi, cum à se distare nequeat, sicque ad operandum in se ubicationem non requirit, cum & agens sit, & passum.
- III. Hinc infero, si homo vel Angelus per impossibile poneretur nullibi, seu omni ubicatione spoliaretur, posse ipsum actus intellectus & voluntatis non minus expedite elicere, quā modò. Idem censeo de sole respectu lucis, de igne, & aquā respectu productionis caloris & frigoris in seipsis, & de aliis similibus.
- IV. Existimo itaque passiones omnes, & proprietates rei cuiuspiam connaturaliter debitas, ut in sole ex.g. subsistentiam, lucem, & ubicationem in eodem signo rationis produci, nec ullum inter eas prioris, & posterioris ordinem inveniri. Imò ulterius addo, tantum abesse ut ubicatio antecedenter se habeat ad productionem vel lucis, vel subsistentiæ in sole, ut existimem posse Deum lucem illam aut subsistentiam elevare ad ubicationem, solis primò producendam, sicque posse ubicationem illam esse iis naturā posteriorem. Difficultas ergo tota est in operationibus in passio externo.
- V. Dico secundò: quando primò agens aliquid, ignis ex.g. agit in passum externum, requiritur ubicatione tanquam conditio antecedens ad effectum in passio illo producendum. Ratio est, quia cum nihil agere possit in distans, ad hoc ut causa aliqua opereatur, requiritur approximatō, seu applicatio agentis ad passum, quæ consistit in duplici ubicatione, sine quā applicatione non intelligitur causa in actu primo completa, & proximè expedita ad agendum.

Hæc est communis sententia, nec puto Philosophos loqui nisi de primā applicatione, quando ubicationem antecedenter requiri asserunt ad agendum in subiecto extraneo.

Dico tertio: postquam agens & passum semel fuerunt sibi invicem approximata, in instante A ex.g. existimo in instantibus sequentibus, eorum approximationem, seu ubicationes non requiri antecedenter ad operandum, seu pro ullo priori, sed sufficere ut ubicationes habeant se concomitanter cum aliis effectibus, calore scilicet, frigore, & similibus: ita P. Arriaga d. 7. Phy. l. 6. n. 74. Prob. quando enim homo manu tenens lapidem in instante A ex.g. tempore immediatè sequente imprimit illi impulsū, & eum movet versus Orientem, pro illo priori quando imprimit impulsū, & motum producit, non habet approximationem cum lapide, approximatō enim est ubicatio, hæc autem producit per motum, ergo ubicatio est uno signo posterior motu, ergo ad impulsū illum & motum in lapide producendum non requiritur antecedenter ubicatio lapidis, ut videtur manifestum, cum hæc ubicatio sit effectus motus, causa autem & effectus nunquam esse possunt in eodem priori naturæ. Sicut ergo pro priori ad approximationem potest homo in lapide producere motum, & impulsū, quidni etiam in eodem tunc producere poterit calorem, aut alium huiusmodi effectum? ad quem, sicut ad motum & impulsū, sufficit quod immediatè antè fuerit manus lapidi applicata.

Dices; hinc sequi, posse manum in lapide illo producere calorem in sequente instante, licet lapis à manu distaret, cum pro illo priori secundum nos non requiratur ubicatio. Contrā primò: quando Petrus in instante A existens in spatio A, movet se in instante B in spatio B proximum, non requiritur pro priori ad motum illum ubicatio Petri in spatio B: sic enim prius esset in illo spatio quā habeat illam ubicationem, quod fieri nequit, cum in illo spatio sit per ubicationem, & tamen nullus propterea dicit posse Petrum in instante B collocare se in loco distante, sed tantum in proximo, quidni ergo idem in nostro casu dici poterit de productione caloris, & aliorum huiusmodi effectuum? Dico itaque, licet non requiratur ubicatio, seu approximatō pro priori, requiri tamen pro illo instante reali, & concomitanter, cum tamen nec concomitanter poni posset approximatō si lapis illo instante reali esset in loco à manu distante, ut in simili jam ostendi in motu Petri. Videatur P. Arriaga disp. illā citatā, ubi rem hanc fusè, & benè explicat.

DISPUTATIO XXXVII.

De tempore, aternitate, & ævo.

SECTIO PRIMA.

Declaratur quid sit tempus, & aternitas: & in quo inter se, & ab ævo discrepent.

- A**RISTOTELES tempus cognitu difficile, explicatu difficilior esse asserit. Cujus ratio, inquit S. Thomas opusc. 44. est, quod tempus sit minime entitatis, & quid successivum, ac veluti lubricum, & semper fugiens sicque oculis se & cognitioni hominum perpetuo subducens. Unde S. Aug. l. 11. Conf. c. 14. Quid sit tempus, inquit, si nemo ex me querat, scio, si querenti explicare velim nescio. Quæ si de tempore vera sint, multò certè magis de aternitate, quæ ut ab hominum conspectu longè remotior, ita captu & explicatu, communi omnium consensu, longè est difficilior.

ARISTOTELES 4. Phy. t. 101. definitionem temporis tradit his verbis: Tempus est numerus motus secundum prius & posterius. Quæ definitio intelligi debet de partibus determinatis temporis, ut de quadrantibus in horā, horis in die, diebus in mense, mensibus in anno

in anno &c. inter hæc enim vera intercedit successio & numerabilitas, ut constat; non enim est sermo de partibus ejus proportionalibus, quæ cum & infinita sint in sententia Aristotelis, & indeterminata, numerari nullo modo possunt.

II. Licet verò nullus sit motus, qui non possit vocari tempus, cum nullus sit motus qui non sit successivus, & qui non habeat partes post partes, & consequenter qui numerari non possit secundum prius & posterius, & assumi ut mensura aliarum rerum,

Motus cæli est tempus primario, motus horologiorum secundario.

Tempus est denominatio partium extrinseca.

communi tamen omnium consensu, jam motus cælorum, & præteritum mobilis, ut pote motus maxime universalis, notus, & quod caput est, æqualis, & nunquam interruptus, appellatur tempus; & pro rerum omnium mensura assumitur. Motus verò horologiorum, qui cæli motum exprimit, dici similiter tempus solet. Unde notio temporis in extrinseca denominatione sita est: Quo sensu dixit Aristoteles hic, tex. 13. si anima non esset possibilis, tempus non esset possibile: nempe secundum rationem mensuræ actualis.

III. Dices, tempus essentialiter includit duas partes, ergo nunquam de eo affirmari potest quoddam sit, ergo non est ens reale. Distinguo ultimum consequens, ergo non est ens reale permanens, concedo consequentiam; non est ens reale successivum, nego: hæc enim est natura rei successivæ, ut patet non habere omnes, imò nec ullas partes simul, sed unam post aliam. Ad hoc autem ut tempus sit ens reale, sufficit quoddam possit successivè esse à parte rei, res enim impossibilis nec hoc modo potest existere.

Quomodo tempus sit ens reale.

IV. Aeternitas triplex est: alia à parte post, qualis est duratio Angeli, vel animæ rationalis, quæ semel producta, nullâ vi agentium naturalium destrui potest: alia est aeternitas solum à parte ante, ut si Deus Angelum creasset ab æterno; & destruxisset eum in tempore: tertia demum aeternitatis est à parte ante, & à parte post, ut si Deus creasset Angelum ab æterno, & eum in æternum conservare decrevisset. Aliquando verò aeternitas sumitur pro longâ duratione: quo sensu psal. 75. v. montes dicuntur æterni. Propriissima autem ratio aeternitatis est illa Dei, quæ non solum est sine principio & fine, sed petit essentialiter & esse ab æterno, & in æternum durare; quod nulli creatæ rei potest competere.

Aeternitas Dei est perfectissima.

V. Quæres, utrum aeternitas Dei vocanda sit duratio? Quæstio hic esse potest de nomine: primo, certum est hanc Dei aeternitatem esse totam simul, juxta receptam illam ab omnibus Theologis ex Boëtio desumptam aeternitatis Dei definitionem, nempe, aeternitas est interminabilis vita tota simul, & perfecta possessio: si ergo duratio ex naturâ suâ sit successiva, aeternitas Dei non est duratio. Deinde, duratio dicit essentialiter ordinem ad certum aliquod tempus, vel verum, vel imaginarium; aeternitas autem hoc non dicit, sed antevertit omne tempus, etiam imaginarium, ut pote ante quod aeternitas Dei tota erat, vel, ut magis propriè loquar, est. Unde aeternitas Dei est eminentialis perseverantia in esse, non formalis, seu secundum partes successivas formales.

Aeternitas Dei est interminabilis vita tota simul, & perfecta possessio.

VI. Dicit tamen potest Deus novis & novis cælorum & moruum circumvolutionibus coexistere, ut horis, diebus, annis &c. & hoc sensu durare, ita tamen, ut tota ejus aeternitas correspondeat singulis partibus, & instantibus temporis. Tandem si per durare solum intelligatur retinere idem esse in sequente instante, quod habuit in præcedente, hoc etiam sensu dici poterit Deus durare, ut est manifestum, cum ipse totus sit in hoc instante, qui etiam totus fuit in præcedente, & idem omnino fuit ab æterno.

Quo sensu Deus dici potest durare.

VII. Aeternitas ergo Dei, ut ex Boëtio l. 5. de Consol. prosâ ultimâ vidimus, est interminabilis vita tota si-

R. P. Th. Comprens. Philosophia.

mul, & perfecta possessio. De qua definitione latè Theologi cum S. Th. i. p. q. 10. a. 1. Ly interminabilis definitio denotat carentiam principij, & finis: tota simul, non habere partes formales: perfecta, id est, necessaria, seu ita ut possessione illâ carere non possit; quod Angelo, si ab æterno crearetur, non competeret: unde aliqui volunt Angelum in eo casu dicendum non æternum, sed sempiternum, licet alij cum S. Iudoro utrumque nomen pro eodem sumi assentiant.

Explicitat Theologi cum S. Th. i. p. q. 10. a. 1. Ly interminabilis definitio denotat carentiam principij, & finis: tota simul, non habere partes formales: perfecta, id est, necessaria, seu ita ut possessione illâ carere non possit; quod Angelo, si ab æterno crearetur, non competeret: unde aliqui volunt Angelum in eo casu dicendum non æternum, sed sempiternum, licet alij cum S. Iudoro utrumque nomen pro eodem sumi assentiant.

Ævum sumitur subinde pro ætate diuturna, sic senes dicuntur longævi. Subinde etiam aeternitas ipsa vocatur ævum. Tertiò, & propriissimè, ævum dicitur duratio rerum naturalium, quæ ex naturâ suâ sunt incorruptibiles, esto à Deo corrumpi possint, ut sunt Angeli, anima rationalis, cælum &c. videtur ergo ævum media quædam duratio inter tempus & aeternitatem: tempus enim est duratio motus successivi, aeternitas est existentia indivisibilis Dei: ævum est duratio rerum permanentium, naturaliter incorruptibilium.

VIII. Quid sit, & quibus competat ævum.

SECTIO II.

De tempore Imaginario.

VT supra, præter spatium reale, statuimus spatium imaginarium, cui reale corresponderet, seu, cui ubicatio rem veluti affigeret, ita hic tempori reali assignandum est imaginarium, cui corresponderet, ac veluti affigatur. De quo fortè locutus est S. Augustinus l. 11. Confessi. cap. 23. dum loquens de pugna illâ tempore Josue, quando sol stetit, sol, inquit, stabat, tempus ibat. De tempore ergo imaginario tot ferè sunt, vel esse possunt opinioniones, quot supra d. 33. s. i. retulimus de spatio imaginario, alijs scilicet, ut spatium, ita tempus imaginarium negantibus: alijs asserentibus esse tempus possibile, alijs negationem Chimæ, alijs Deum, alijs nihil. Quæ opinioniones eodem modo impugnantur, quo supra illas impugnavi de spatio.

I.

Tempore Josue sol stabat, tempus ibat.

Ut meam de tempore imaginario opinionem declararem: Notandum, quemadmodum, ut supra d. 33. s. 2. n. 4. dixi, negationes rerum à loco absolutarum, aquæ, ignis &c. sunt in loco per negationes ubicationum illarum rerum, ita & earum negationes per negationes durationum earundem rerum durant: negationes enim harum durationum per se durant, & sunt in perpetuo fluxu, nec ullæ duæ earum partes possunt esse simul, sed sunt essentialiter heterogeneæ, sicut durationes ipsæ quas negant. Negationes verò aliarum rerum eadem esse possunt heri, & hodie, & centum abhinc annis, nisi per productionem rerum positivarum, quibus contradicunt, tollantur.

II.

Negationes rerum absolutarum durant per negationes durationum.

Cum ergo ab æterno fuerint negationes omnium rerum, fuerunt etiam jam inde ab æternitate perpetuo fluentes, & secundum diversas sui partes, vel quasi partes sibi semper succedentes negationes harum durationum, ita ut pars hodierna negationis durationis Anti-Christi non potuerit esse nisi hodie, nec seriùs, nec citiùs. Sicut ergo pars negationis se- ubicationis Leodienis Petri non potest esse alibi quàm Leodij, sic negatio hodierna durationis Petri non potest esse nisi hodie. Unde sicut negationes ubicationum sunt secundum diversas partes heterogeneas extensæ quoad locum, ita negationes temporis, seu durationis sunt extensæ successivè secundum diversas partes heterogeneas quoad tempus.

III.

Negationes durationum durant per se.

Sicut ergo partes negationis ubicationis, quæ non sunt tollibiles, constituunt in nostrâ sententiâ spatium imaginarium, ita partes illæ negationum durationis, quæ quando existebant, non potuissent non existere,

IV.

Assignatur in quo consistat tempus imaginarium.

H h

existere, constituunt tempus imaginarium, cum eadem ipsis conditiones competant, ac partibus negationis ubicationum. Tempus itaque imaginarium cui affigeretur duratio hodierna Anti-Christi, sunt negationes hodiernæ omnium durationum ejus, præterquam hodiernæ, hodierna enim negatio durationis hodiernæ Anti-Christi non est apta constituere tempus imaginarium, cum tolli possit, ac proinde est privatio potius, quam negatio. Sic etiam tempus imaginarium cui affigebatur hesternæ duratio, erant negationes hesternæ aliarum durationum præter hesternam, & sic de alijs.

V. Hic ulterius notandum, non in omnibus convenire tempus imaginarium cum spatio imaginario: spatium enim petit esse quid fixum, & permanens, tempus verò imaginarium non potest esse quid permanens, sed essentialiter successivum, & semper fluens secundum diversas sui partes. Aliqua tamen pars temporis imaginarij necessariò semper existit; cum enim duratio nulla realis poni possit, nisi certo quodam tempore, negatio ipsius necessariò debet esse omni alio tempore, saltem quoad aliquam sui partem, cum semper debeat esse vel res, vel negatio rei.

VI. Dices; negatio omnis temporis fuit ab æterno; & duravit usque ad creationem mundi, ergo negatio temporis non potest esse tempus imaginarium, cum tempus imaginarium debeat esse aptum cui affigantur diversa tempora realia, tempore autem reali producto, tollitur ejus negatio, & consequenter tollitur tempus imaginarium, si in hujusmodi negationibus consistat. Resp. negationem quidem omnis temporis fuisse ab æterno, non tamen omnem negationem temporis, hæc enim negatio, est successiva, ut dixi, & habet diversas partes sibi invicem succedentes: sicut in hoc palmo spatij, vel etiam puncto, est negatio totius montis, & templi, non tamen tota negatio montis & templi. Cum ergo sint partes harum negationum sibi semper succedentes, & consequenter diversi dies imaginarij, sunt hæ partes aptæ ad constituendum diversos dies veros, per modum scilicet termini, cui dies veri affigantur.

Negatio omnis temporis fuit ab æterno, non tamen omnis negatio temporis.

SECTIO III.

De modo incipiendi, & desinendi rerum.

I. Aliquid de his necessariò hic dicendum, licet fusius eorum tractatio ad libros de Generat. pertineat. Hic ergo solum terminos explicabimus, ne, cum Philosophis sunt valde frequentes, primo auditu obscuritatem & confusionem pariant.

II. Duplex ergo est modus incipiendi, & desinendi rerum, *intrinsecus* & *extrinsecus*. Res ergo aliquæ incipiunt per ultimum sui non esse, ita ut sit verum de re hujusmodi affirmare, *jam non est, immediate postea erit*. Desinunt etiam res aliquæ per primum sui non esse, ita nimirum, ut sit verum de tali re dicere, *nunc*

non est, immediate antea fuit. Hic autem modus incipiendi, & desinendi vocatur incipere & desinere extrinsecè.

III. Incipio igitur rei per ultimum sui non esse est quando res aliqua incipit successivè, & in tempore, tunc enim assignatur ultimum instans determinatum, in quo res illa non est, juxta modum explicandi superius positum. Similiter desinitio rei per primum sui non esse, seu extrinsecè est quando assignatur primum instans determinatum, in quo verum sit dicere, *nunc non est, immediate antea fuit*. Sicque in expulsiōe caloris & frigoris, eo instante reali quo est verum dicere, *calor non est*, seu non est inductus, & immediate post inductur, in eodem etiam est verum dicere, *frigus est*, immediate postea non erit, seu expelletur: ubi calor incipit extrinsecè, frigus desinit intrinsecè, quod jam explicabo.

IV. Desinere itaque rem aliquam intrinsecè, seu per ultimum sui esse, est cum assignari potest ultimum instans determinatum, in quo res illa est, ac proinde est verum dicere, *nunc est, immediate postea non erit*. Incipere autem rem intrinsecè, est illam incipere per primum sui esse, ita nimirum, ut sit verum dicere: *nunc est, immediate antea non fuit*. Unde videtur posse rem aliquam simul incipere, & desinere intrinsecè, nempe, si duret per unum tantum instans, ut si quis actum aliquem intellectus, aut voluntatis eliciat instante, & per unicuique tantum instans illum conservet, tunc enim hic actus illo instante incipit intrinsecè, seu per primum sui esse, & desinit intrinsecè, seu per ultimum sui esse, esset enim verum de actu illo dicere, *nunc est, immediate antea non fuit*; & similiter, *nunc est, immediate postea non erit*: non tamen destruitur nili in tempore sequente illud instans.

V. Quæres utrū res indivisibilis, seu quæ nullas habet partes, Angelus v.g. possit incipere extrinsecè, seu per ultimum sui non esse, & produci in tempore? Probabilius mihi videtur posse. Dices; est implicatio in terminis, quidquid enim producit in tempore, producit successivè, sed Angelus non potest produci successivè, sed totus simul, cum non habeat partes, ergo. Resp. distinguendo majorem, producit successivè ex parte temporis, id est, in tempore successivo, concedo majorem; producit successivè ex parte sui, id est, ita ut aliquid illius producat prius alio, nego: hoc enim implicat, cum in Angelo, & re quavis indivisibili non sit aliquid & aliquid realiter.

VI. Productio ergo hæc vocanda est simultanea, non instantanea, simultanea inquam, ex parte sui, non ex parte temporis, quia verè in productione correspondet tempori. Cum ergo dicitur res illa produci in tempore, ergo non simul, semper distingui debet consequens, ergo non simul quantum ad tempus, concedo consequentiam; nam in productione correspondet tempori: ergo non simul ex parte sui, nego: cum enim res illa indivisibilis sit, & nullas habeat partes, debet necessariò ex parte sui produci simul.